



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sacrum Misericordiae Palativm

Variis Sacrae-Scripturae Locis, Atque Septem misericordiae operibus quasi
peristromatibus exornatum

Gzaeus, Nicolaus

Augustae Trevirorum, 1618

Vtrum opus Misericordiae factum in peccato mortali per poenitentiam
subsequentem possit viuificari & esse vitae aeternae meritorium. cap. 48.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54477)

Verbi causa, si multa Misericordiæ opera exercueris, & postea in adulterium vel furtum aut in superbiam labaris mortificantur illa opera, cum autem per pœnitentiam culpam dilueris tunc reuiuiscunt & per pœnitentiæ asperionem pristinam recipiunt virtutem. Hęc solutio verissima est Attamen hic quæritur inter Theologos.

VTRVM OPVS MISE-
RICORDIÆ FACTVM IN
PECCATO MORTALI, PER
pœnitentiam subsequenter possit
uiuificari, & esse vitæ æternæ
meritorium.

CAPVT XLVIII.

OMnium pœnè scholasticorum hac in re placet sententiã dicentiũ, hęc opera in mortali peccato facta, nullatenus vitã promereri sempiternã. Quam etiam ex varijs scripturæ locis probare possem: sufficit locum vnus. *Dona impiorum non probat Eccles. 34. altissimus.* Cui etiam consonat illud. *Non reuiuiscunt que mortuata fuere.*

Attamen quoniam sententia contraria

N 4 satis

fatis probabilis hanc, huic capitulo inferam, veruntamen sequi non consulo, sed Doctos ac eruditos, hæc verba perlegentes precor vt quæstionem hanc quam sub dubio relinquo, & in vtramque partem agitablem, sedulo examinent. Iacobus de valentia Episcopus Christopolitanus, tenet opera Misericordiae in peccato mortali facta, post pœnitentiam, esse vitæ aternæ meritoria. Citat autem Augustini verba: *Pium est credere & nostra fides hoc expostulat, vt cū Deus destruxerit mala priora, etiam remuneret bona quæ in peccante plantauit.* Secundo vt melius opinionem suam tueatur, negat opera peccatoris esse mortua, siquidem pro principio habuerunt præuenientem gratiam & disponentem, quæ sunt principia ad gratiam gratum facientem. Quod si obijcias: Hæc opera esse facta ab homine mortuo per peccata, ergò esse mortua. Respondet sophisticum esse exemplum, ac huic simile. Domus hæc à cæno ædificata est, ergò & alba est. Nam sentit peccatum esse accidens adueniens homini bona opera exercenti. Instat insuper. Etsi peccator careat vita gratum faciente, tamen viuit gratia præueniente quæ incitatrix est ad illa bona opera exercenda. Verba autem Pauli nihili faci-

*in Psal. 50. in
3. expos. sub
finem.*

*Lib. de Penit.
d. 3.*


1. Corinth. 13.

facientis opus sine charitate ; exponenda dicit, eo tempore quo homo perseverat in peccato. Affert etiam quorundam sententiam dicentium opera illa bona (quale est Eleemosyna) quæ opus post se relinquunt etiam in peccato mortali exercita viuificari, *non quoad essentiam & secundum se, sed quoad remunerationem.*

Denique hanc adfert Conclusionem. *Iustificatus per pœnitentiã, potest mereri augmentum gloria, per bona opera quæ fecit dum erat in peccato, & hoc per nouam oblationem in virtute nouæ gratiæ.* Huius autem rei rationem affert. Quicquid iustus offert Deo, hoc illi acceptum est ad meritum gloriæ, sed homo iustificatus per pœnitentiã Deo acceptus est, ergo opera quæ in peccato fecit ei accepta sunt, quia offert.

Dico ego hominem propter opus Misericordiæ quod fecit in peccato mortali non mereri vitam æternam, sed propter nouum actum, quo iam placens Deo rogat ea esse accepta quæ in peccato existens exercuit. Denique in suæ sententiæ approbationem præstantissimam affert comparisonem. Sicuti inquit aulicus propter delictum omnibus Principis fauoribus destitutus, si exilij tempore Principis bona mul-

tiplicet, familiae substantiam augeat, inimicos repellat &c. horum omnium operum post reconciliationem remunerationem recipit. ita peccator, post delictorum expiationem omnium bonorum operum quae in peccatis existens fecerat recipit retributionem. His ita positis, scholasticis describandum relinquo. Omnes tamen vos rogo; ut omni tempore munificos vos erga pauperes exhibeatis. Licet enim vobis non profint opera in peccatis facta ad meritum gloriae, proderunt tamen ad susceptionem gratiae, proderunt ad temporalium bonorum multiplicationem; proderunt ad supplicij mitigationem, proderunt denique ad flammaram purgatorij euasionem.



QVOD SEXVI ETIAM
FOEMINEO CONVENIANT
VERBA SALVATORIS, BEA-
ti Misericordes.

CAPVT XLIX.

QVonia in varijs scripturae ac Patrum
locis reperio non solum homines, sed
& mu.